



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE INTER SACRAS SANCTUARIUM CIVITATIS CASTELLI  
DIOECESIS, QUOD IN LOCO**

**«COLLE DI CANOSCIO» EST DICATUM BEATAE MARIAE VIRGINI**

**TITULO «MADONNA DEL TRANSITO» INVOCATAE,**

**AD BASILICAE MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR** Ad perpetuam rei memoriam. – Inter sacras aedes Civitatis Castelli dioecesis merito celebratur sanctuarium beatae Mariae Virginis titulo «Madonna del Transito» invocatae, quod exstat in loco «Colle di Canoscio» et quo fideles ex finitimis etiam regionibus frequentes accedunt veneraturi antiquam pulchramque depictam imaginem Dormitionis Deiparae Genetricis ab Eminentissimo Cardinale Seraphino Vannutelli, nomine Petriani Canonice Collegii, anno MDCCCLXXXVIII sollemni ritu coronatam. Constat insuper hoc templum notum esse centrum cultus marialis eiusdem dioecesis. Qua re, cum Venerabilis Frater Peregrinus Thomas Ronchi, Episcopus memoratae Sedis, litteris die VII mensis Octobris superiore anno datis, cleri populique sui quoque expromens vota, postulaverit ut templum idem titulo ac dignitate Basilicae minoris honestaremus, Nos, paternae benevolentiae documentum cupientes praebere, enixis precibus perquam libenter obsecundandum esse putamus. Ratis igitur plane habitis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, summa Apostolica potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum sanctuarium, quod diximus, ad Basilicae minoris gradum dignitatemque evehimus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae secundum Decretum «De titulo Basilicae minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Quod faustum ac felix sit cunctis eidem Virgini devotis ac perennis grataque simul exstet memoria DCL annorum e quibus eius venerata imago efficta est. Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Maii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.* ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status* © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana

---